

quis admitti ad juratoriam cautionem posset, sed Judex prudens, & discretus æstimabit hoc, ex personarum & causæ qualitate, & adjectâ hac limitatione, ut cavere volens prius jurejurando adfirmet, se fidejussores, vel pignora invenire non posse, antequam ad cautionem admittatur juratoriam. Ego latius hoc trado *d.conf.4.n.4.5.*

5. Sed an reus ad cautionem admittendus juratoriam? Si de crimine capitali agitur, & de fugâ suspectus est, è carcere non dimittendus est, quicquid contra disputent allegati à *Dn. Zieritz.*

### ARTICULUS XV.

*De alio cautionis genere, cùm accusator indicia probarit, aut suapte sponte manifestum delictum sit.*

1. Impræsentiarum accusator cavebit, se accusationē suam juxta hanc constitutionem persecuturum, nec ad aliam cautionem tenetur.

2. Quomodo actuarii, sive Scribæ Judicii munere suo in causarum criminalium gestis conscribendis rectè fungantur? traditur. Vide *Zieritz. Steph. hic. Cothm. vol. 3. resp. 30. n. 89. 90. 91.* Quæ præterea Notarii partes sint, declarabitur inferius *art. 181. & seqq.*

### ARTICULUS XVI.

*De criminibus manifestis.*

1. In criminibus manifestis, & satis liquidis, non tamen satis certis (in his enim torturæ locus non est, ut *Dd. autoritatibus Zieritz.* probat) ad eruendam veritatis confessionem, si reus obstinata quadam pervicacia ea diffiteri pergat, nec innocentiam suam argumentis contrariis probare possit, ad torturam justissimè proceditur, ut hac ratione, sine proluxa protractione, sumptuumq; dispendio sententiæ in reos ferantur, & provinciæ malis hominibus purgentur. Carceratos morte promeritos citò occidere misericordiæ genus. Eleganter *Anton. Hering. de fidejuss. c. 1. num. 31. cum seqq.* cui adde omninò *Dn. Herm. Goëhaus. in alleg. tract. de venefis. tit. 4. m.* Vide notata *ad art. 9.*

2. Hæc manifesta crimina vulgus vocat notoria, quando facti evidentia subest. Multa tamen dicuntur notoria, quæ notoria non sunt, & propterea probatione indigent, ut elegantissimè deducit propter ætatem rude donandus *J. C. Rutg. Ruland. in relatione, sive Erledigung etner schweren / in Assesuraton, sachen / vorgestalter Fragen: Ob nemlich / wann etner auff ein Schiff sich versichern lasset / aber kein premium bezahlet / vnnnd hernacher zur See Schaden erfolgt / alsdann denselben er als assesuratus von den assesuratoribus zu fordern vermüge? pag (mihi) 68. num. 142. cum seqq. p. 85. num. 196. cum seqq.* De notorio plura *Metzger. consil. crimin. 15.*

*num. 76.*

ARTI-